



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Sanctißimè moritur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

bus omnes insistere. A meridie Præposito sancti
 Nicolai Sebastiano Veronio satis multa dixit, ve-
 rum inter mortuis iam vocibus, nec satis in verba
 formatis; solum intelligebatur, Ecclesiam illi vr-
 bemque Friburgensem impense commendari.
 Hoc nempe indefatigabilem Dei operarium, cō-
 stantemq; Prædicatorem decebat, vt ante vita de-
 ficeretur, quām publicae utilitatis curam depone-
 ret: & supremam voculæ morientis auram in co-
 hortatione consumeret. Etenim subinde Præpo-
 sito eidem, & aliis quibusdam, qui piè flagitabār,
 bene precatus, vix quicquā præterea locutusest.
 Solum, si quis admoueret aurem, cum oculis, ac
 manibus instar sancti Martini, in cælum esset in-
 tentus, audiebatur secum immurmurans, Cupio
 dissolui, & esse cum Christo. Et ex libello manu-
 scripto, in quem selectas precationes contulerat,
 lectitare coepit precationem de felici obitu. Nec
 post multo oculos in conclave ianuam defixit,
 hiliorq; iucundo, & amabili vultu, eodem digi-
 tum intendens. Non videtis, inquit, non videtis?
 Nihil circumstantes viderunt. Nulli tamen du-
 bium fuit, quin diuina ei species aliqua oblata es-
 set. Adhibita deinde suprema yncito, cum Pater
 and

nun-

Sanctissime
 portatur



nunquam intermitteret preces ut è labiorū motu intelligebatur, in effigiem Deiparæ fixo obtutu: paulòq; post sanctissimam Crucem sæpius religiosissime exosculatus, eamq; altera manu, altera cereum sacrum fulgentem sustinens inter litanias, quasi placide obdormiscens, absq; vlla doloris, migrationisq; significatione sanctam animā magno cum spectantium mœrore, multisq; lacrymis, procreatori suo reddidit hora post meridiem tertia cum dodrante, Apostolo Thomæ sacro die vesperascente. Quo die ante septendecim annos Collegij eius possessionem inierat. Beatæ illi migrationi præsentes interfuerere Præpositus Sebastianus Veronius, Patres duo Capuccini, duοq; senatores, præter domesticos omnes, qui flexis genibus circumfusi perseverabāt in precibus. Post horæ spatium visa demortui facies formosior, quam spirantis: & in manus quoque viuus quidam, ac roseus color diffusus.

Formosior mortuus species,

Re per Ciuitatem vulgata incredibilis omnes Ordines dolor incessit: quod si instans amantissimi Patris excessus enotuisset, ægre communis populi concursus prohiberi potuisset. Consilio habitu senatus vterq; sacer, ac laicus, quo tantum

*Habitos habitus
et à Fratribus
gensibus.*

Dd 3 thesau-